

3. Præterea, sacramentum hoc debet conformari baptismi sicut perfectio perfectibili, ut supra dictum est (quæst. 65, art. 4, et art. 2 hujus quæst., argum. 2). Sed in forma baptismi non fit mentio de consignatione characteris, nec etiam de cruce Christi (cum tamen per baptismum homo Christo commoriatur, ut Apostolus dicit, Rom. 6), nec etiam fit mentio de effectu salutis, cum tamen baptismus sit de necessitate salutis. In forma etiam baptismi ponitur unus actus tantum, et exprimitur persona baptizantis, cum dicitur: Ego te baptizo. Cujus contrarium apparet in forma prædicta; non ergo est conveniens forma hujus sacramenti.

Sed contra est auctoritas Ecclesiæ, quæ hac forma communiter utitur.

Respondeo dicendum, quod prædicta forma (posita in initio art.) est conveniens huic sacramento. Sicut enim forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacramenti continere debet quicquid pertinet ad speciem sacramenti. Sicut autem ex supra dictis patet (art. 4 hujus quæst.), in hoc sacramento datur Spiritus Sanctus ad robur spiritualis pugne. Et ideo in hoc sacramento tria sunt necessaria, quæ continentur in forma prædicta (posita in 1 argum.). Quorum primum est causa conferens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est sancta Trinitas, quæ exprimitur, cum dicitur: In nomine Patris, etc. Secundum est ipsum robur spirituale, quod homini confertur per sacramentum materię visibilis ad salutem, quod quidem tangitur, cum dicitur: Confirmo te chrismate salutis. Tertium est signum, quod pugnantiori datur, sicut et in pugna corporali milites insigniis ducum insigniuntur. Et quantum ad hoc dicitur: Consigno te signo crucis, in quo scilicet rex noster triumphat, ut dicitur Coloss. 2.

Ad 1, dicendum, quod, sicut supra dictum est, per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus hujus sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus Sancti, quibusdam visibilibus signis miraculose a Deo effectis, qui potest effectum sacramenti sine sacramento conferre. Et tunc non erat necessaria nec materia nec forma hujus sacramenti. Quandoque autem tanquam ministri sacramentorum hoc sacramentum præbebant, et tunc sicut materia, ita et forma ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant Apostoli in sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita. Unde Dionys. dicit (in cap. 7 Eccles. Hierar., part. 3, inter med.

et fin.): Consummativas invocationes, id est, verba, quibus perficiuntur sacramenta, non est justum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere, sed nostra sacra traditio sine pompa, id est, occulte, eas edocet. Unde et Apostolus dicit, loquens de celebratione Eucharistiæ, 1 Cor. 11: Cætera, cum venero, disponam.

Ad 2, dicendum, quod sanctitas est salutis causa. Et ideo in idem redit, quod dicitur, chrismate salutis, et sanctificationis.

Ad 3, dicendum, quod baptismus est regeneratio in spiritualem vitam, qua homo vivit in seipso; et ideo non ponitur in forma baptismi, nisi unus actus ad ipsum hominem sanctificandum pertinens. Sed hoc sacramentum non solum ordinatur ad hoc, quod homo sanctificetur in seipso, sed exponatur cuidam pugne exteriori. Et ideo non solum fit mentio de interiori sanctificatione, cum dicitur: Confirmo te chrismate salutis; sed etiam consignatur homo exterius quasi vexillo crucis ad pugnam spiritualem, quod significatur, cum dicitur: Consigno te signo crucis. In ipso autem verbo baptizandi, quod ablutionem significat, potest intelligi et materia, quæ est aqua abluens, et effectus salutis; quæ non intelliguntur in verbo confirmandi, et ideo oportuit hæc ponere. Dictum est autem supra (quæst. 66, art. 5, ad 1), quod hoc, quod dicitur: Ego, non est de necessitate formæ baptismalis, quia intelligitur in verbo primæ personæ; apponitur tamen ad exprimendam intentionem; quod non est ita necessarium in confirmatione, quæ non exhibetur, nisi ab excellenti ministro, ut infra dicitur (art. 11 hujus quæst.).

Littera D. Thom. perspicua est; rem autem ipsam amplius explicabimus in ultima sect. disput. sequentis.

DISPUTATIO XXXIII,

ET SECUNDA DE CONFIRMATIONE.

DE ESSENTIA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Quæ sit definitio confirmationis. — Confirmatio defini potest, esse sacramentum novæ legis, quo baptizati in gratia roborantur, et speciali modo Spiritum Sanctum accipiunt; seu esse sacramentum novæ legis speciale robor gratiæ Spiritus Sancti significans, et

conferens. His enim verbis metaphysico modo per proprium genus et differentiam hujus sacramenti essentia declaratur; tamen hoc modo explicata ratione hujus sacramenti pendet ejus intelligentia ex cognitione effectuum ejusdem sacramenti. Nam signum non potest sine signato intelligi, neque specialis causalitas instrumenti absque speciali effectu; et ideo hæc tractatio reservanda est in disputationem sequentem, quæ erit de effectu. Aliter ergo potest magis physice defini confirmatio, quod sit unctio chrismatis in fronte signo crucis facto, sub præscripta forma verborum. Et hæc definitio est a nobis in hac disputatione explicanda, in qua prius de materia remota, deinde de proxima, ac postremo de forma dicemus.

SECTIO I.

Utrum oleum balsamo mistum sit de necessitate materię hujus sacramenti.

1. Prima sententia. — Prima sententia esse potest, nullam sensibilem materiam præter Episcopalem manuum impositionem esse de substantia hujus sacramenti. Hæc fuit opinio Canonistarum, ut refert Marsilius in 4, q. 5, art. 1, qui fundabantur in hoc, quod materia hæc fuit ab Ecclesia instituta; et eadem opinio tribui potest Alensi et Bonaventuræ, qui idem docent locis supra citatis; nam quod est ex sola institutione Ecclesiæ non potest esse de substantia sacramenti. Unde Apostoli nulla materia utebantur præter manuum impositionem, ut sentit Hugo Vict., lib. 4 de Sacram., p. 7, c. 2.

2. Secunda opinio admittit chrisma saltem ex oleo confectum esse de essentia hujus sacramenti; balsami autem mitionem non esse de necessitate sacramenti, sed solum de necessitate præcepti, sicut est mistio aquæ in Eucharistia. Ita sentit Cajet. hic, quem secuti sunt Sot., d. 7, art. 2; Victoria, supra, n. 44; Navar., cap. 22, n. 8; Covar., lib. 4 Variar. resolut., cap. 40, n. 4; citantur etiam Hosius, Ledes. et alii moderni, sed falso. Præcipuum fundamentum hujus sententiæ sumitur ex Innocent. III in cap. 4 de Sacram. non iterandis, ubi consultus Pontifex, an confirmatio esset iteranda in eo, qui per errorem non chrismate, sed oleo fuerat delinitus, respondet, nihil esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermisum; supponit ergo, id, quod fuerat prætermisum,

non esse de substantia sacramenti. Nam si defectus fuisset substantialis, sacramentum etiam nullum fuisset; ergo iterum dari debuisset. Respondent Palud., Duran., Adrian., et alii infra citandi, Pontificem non negare, in eo casu dandum esse sacramentum confirmationis, sed negare esse iterandum sacramentum confirmationis; illa enim non est iteratio, sed effectio ejus, quod factum non fuerat. At hoc nimis videtur violentum, tum quia ibi non erat quæstio de iteratione, nec fiebat vis in verbo iterandi, prout significare potest secundam collationem ejusdem sacramenti post primam ratam et validam; sed simplicius agebatur de iteratione, prout communiter loquimur, ad significandam collationem sacramenti, quæ iterum fit, quomodo prior iudicatur fuisse invalida; tum etiam quia verba illa, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermisum, plane indicant, non esse totum sacramentum iterandum, sed solum aliquem defectum supplendum, quod solum habet locum, quando defectus est accidentalis; nam si sit substantialis, totum repeti oportet. Et confirmatur, nam ibi simul cum illa quæst. alia Pontifici proponitur; scilicet, an subdiaconatus, sine manus impositione datus, sit iterandus; et utriusque quæstioni respondet eisdem verbis supra citatis. Sentit ergo ejusdem rationis esse defectum in utroque casu; sed in subdiaconatu ille defectus est accidentalis; ergo etiam alter in confirmatione.

3. Secundo principaliter potest hæc sententia testimoniis antiquorum Patrum suaderi; sæpe enim nomine olei hanc materiam significant; et quamvis interdum utantur nomine chrismatis, tamen illam vocem nomine olei sæpe declarant; nam chrisma apud Græcos ex vi suæ significationis unctionem tantum generatim significat, quolibet genere unguenti fiat, ut ex usu illius linguæ constat, et notavit Aug., tract. 33 in Joan.; et Prosper in lib. Sentent., in 342; S. Eligius, hom. 8, in die Cænæ Dom., ubi ait eo die confici chrisma, quia ante biduum Maria caput Domini ac pedes unguento perfudisse perhibetur. Item Isidor., lib. 7 Orig., cap. 2. Et ita Christus a chrismate dictus est, utpote divinitate, et gratia Spiritus Sancti excellenti modo unctus; usu vero accommodata est illa vox ad significandam illam materiam, qua fit unctio hujus sacramenti, quia illa est præcipua unctio, quæ in Ecclesia fit, et per illam datur Spiritus Sancti gratia, quæ in Scriptura per

oleum maxime significatur. Hinc Basil., de Spiritu Sancto, cap. 27, inter antiquas, et Apostolicas traditiones solum posuit oleum significatum; neque alterius chrismatis meminit; et apud Cyprian., epist. 70, est locus egregius: *Ungi* (inquit) *neesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, et, unde baptizati unguuntur, oleum in altari sanctificatur. Ubi quod prius vocaverat chrisma, postea vocat oleum. Sic etiam Prudent. in Psychomachia scripsit.*

Post inscripta oleo frontis signacula; per quæ Unguentum regale datum est per chrisma perenne.

Aug., lib. 5 de Baptismo, cap. 20, alludens ad locum Cypriani supra citatum: *Cur* (inquit) *ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ possit Deus oleum sanctificare, et in altari quod hæretici posuerunt, non possit, nescio. Idem significat serm. 46 de Verb. Dom., ponderans, quod Joan. dicit, Christum perrexisse in montem Oliveti: In montem* (inquit) *fructuosum, in montem unguenti, in montem chrismatis; ubi enim decebat docere Christum, nisi in monte Oliveti? Christi enim nomen a chrismo dictum est; chrisma autem Græce, Latine unctio nuncupatur; ideo nos unxit, quia lucutores contra diabolum fecit. Ubi idem esse significat unguentum, chrisma, et oleum; nam ex monte Oliveti nullus alius liquor exoritur. Unde serm. 206 de Tempore, copulatum dicit, baptizatos, chrisma et oleum benedictionis accipere. Sic etiam Cyrill. Hierosoly., Cateches. 3 Mystagogica, unguentum, chrisma, et oleum vocat, sentit tamen esse idem; nam illo dicit frontem et alios sensus corporis et pectus inungi, cum tamen modo non hæc omnia balsamo inungantur. Unde varias adducit figuras, et locutiones veteris testamenti, in quibus per oleum hoc unguentum significatum est; quomodo etiam Innocent. III, in cap. unico, § Per frontis chrismationem, de Sacra unctione, ait, per hanc unctionem Spiritus Sancti adventum designari, quia columba, quæ super Christum in baptismo descendit, in diluvio revertens, ramum attulit virentis olivæ, et, quia hoc sacramentum David prænosceus, exhilarandam faciem in oleo prædicavit. Clarius Innocent. I, in epist. 4 ad Decentium, cap. 3: *Presbyteris, inquit, chrismate baptizatos ungere licet; sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare; significat ergo,**

chrisma nihil aliud essentialiter esse, quam oleum consecratum.

4. Tertio adhibere possumus rationem seu conjecturam, quia materias sacramentorum tales esse oportet, quæ et certo cognosci, et facile in usus omnium regionum venire possint; balsamum ergo non est de essentia hujus materiæ; major constat, quia sacramenta sunt pro universo orbe instituta, ita ut, quoad fieri possit, certum ac determinatum usum habeant; minor vero patet, quia teste Plinio, lib. 12, cap. 25, balsamum uni terrarum Judææ concessum est, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio, altero jugerum viginti non amplius, altero pauciorum, quod tam parvæ erat quantitatis, ut vix posset pro una regione deservire, nedum pro universa Ecclesia, maxime cum plures alios habeat usus. Nunc vero, quamvis ex India deferatur, etiam est in minori abundantia, quam ut pro universa Ecclesia sufficiat, et adhuc incertum est, an sit verum balsamum, vel alius liquor illi similis; ait etiam Plinius supra, facile balsamum adulterari, et ideo dixi, hanc materiæ esse incertam. De qua refertur historia, quæ, si vera est, non parum favet huic opinioni. Tempore enim Pauli III, in regione quadam liquor quidam nomine balsami habebatur, de quo Episcopus, un verum balsamum esset, dubitabat, consuluitque Pontificem; ab eoque specialem facultatem postulavit, utendi illo balsamo, quamvis incerto, in confectione chrismatis et confirmatione, cui Pontifex ex speciali favore gratiam concessit. Ex hoc ergo facto colligimus, verum balsamum non esse de essentia hujus sacramenti; nam, si esset, privilegium Pontificis nihil conferret; ergo si verum balsamum non est necessarium, neque simpliciter balsamum, quia quod verum balsamum non est, neque balsamum est, nisi æquivoce. Accedit, tam parvam esse balsami misionem, ut nec misceri possit omnibus partibus olei, nec multo tempore conservari, quin in oleum convertatur. Unde fit, unctionem, qua perficitur confirmatio sæpe fieri ex solo oleo; ergo oleum sufficit in materia proxima hujus sacramenti; ergo posset etiam sufficere in materia remota ad substantiam sacramenti, quia materia remota non est, nisi propter proximam.

5. Est autem quædam diversitas inter auctores hujus sententiæ; nam Cajetanus existimat præceptum miscendi balsamum in hac materia esse tantum Ecclesiasticum, et non fuisse in usu tempore Apostolorum, neque in

primitiva Ecclesia, quia non est, inquit, ereditabile, pauperrimos Episcopos habuisse balsamum, quo forte etiam hodie multi carent. Soto vero sentit, permisionem balsami esse ex institutione Christi, non tamen, ut necessariam ad sacramentum, sed ut præceptum, ubi posset commode servari. Qui probabilius quidem loquitur, si ad antiquitatem respiciamus, minus tamen consequenter, ut videbimus.

6. *Materia hujus sacramenti simpliciter necessaria est chrisma.* — Dicendum est ergo primo, chrisma esse materiam simpliciter necessariam ad essentiam et substantiam hujus sacramenti conficiendam; hæc assertio nunc est absolute de fide, definita in Concil. Florent., in decret. Eugenii, et in Trident., sess. 7, can. 2; nam quamvis ex Scriptura hoc non colligatur, tamen antiquissima traditio, et perpetuus Ecclesiæ usus sufficit ad certam fidem faciendam, ut de hac ipsa re disputans dixit Hieronym., dialog. contra Luciferian., et in simili August., lib. 4 de Baptis., cap. 24. Hæc autem traditio partim ex disputatione præcedente constat; ibi enim ostendimus hæc de causa sacramentum hoc sæpe ab antiquissimis Patribus chrisma, vel sacramentum chrismatis appellari, idque non ex Ecclesiæ institutione, sed ab ipso Christo manasse. Quid vero de Apostolorum usu dicendum sit, sequentibus sectionibus dicemus.

7. *Chrisma confici debet ex oleo et balsamo, ut sit hujus sacramenti materia.* — Dico secundo: chrisma, ut sit hujus sacramenti materia, confici debet ex oleo, et balsamo; etiam hæc conclusio nunc est absolute de fide; nam Concilium Florent. simpliciter docet, materiam hujus sacramenti esse chrisma confectum ex oleo et balsamo, unde in eadem significatione videtur usum nomine chrismatis Concil. Trident., loco citato. Imo ex hac definitione colligimus, juxta Ecclesiæ declarationem, hanc esse significationem hujus vocis apud antiquos Patres. Nam, licet ex prima impositione linguæ Græcæ unctionem significet absolute, tamen ex accommodatione usus accommodata est ad prædictam materiam significandam; quæ interdum chrisma principale vocari solet, ut distinguatur ab oleo infirmorum, seu catechumenorum; interdum vero appellatur unguentum, et ab oleo distinguitur, ut legimus apud Justinum, q. 137, ad Orthodox., ubi ante lavacrum dicit nos ungi oleo, postea vero unguento consignari; sic etiam in Concil. Meld., cap. 4, apud Bur-

chard., lib. 4, cap. 75, distinguitur ampulla chrismatis ab ampullis olei catechumenorum et infirmorum, quo intelligimus, chrisma aliquid aliud præter oleum includere. Fundamentum autem hujus veritatis sumendum etiam est ex traditione, quam statim afferemus.

8. *Confectio chrismatis ex oleo, et balsamo ex traditione apostolica, et Christi institutione manavit.* — Dico ergo tertio: hæc confectio chrismatis ex oleo et balsamo non ex Ecclesiæ institutione, sed ex apostolica traditione et Christi institutione manavit. Hæc conclusio quoad materiam olei videtur etiam certa de fide. Nam evidenter sequitur ex principiis fidei positus; nam de fide est, Christum immediate instituisse hoc sacramentum, quoad omnia essentialia; item est de fide, chrisma esse materiam essentialem; ergo de fide est, chrisma esse ex institutione Christi; ergo, saltem quoad materiam olei; nullus enim hæc tenus cogitavit, solum balsamum, vel aliquod aliud unguentum posse sufficere; idque a fortiori ex dicendis constabit. Atque hinc fit, hoc intelligendum esse de oleo olivarum, quod eadem certitudine tenendum est; hoc enim est, quod illa voce simpliciter ac proprie significatur, atque ita ab universa Ecclesia intelligitur.

9. Altera vero pars de misione balsami non est tam manifeste de fide. Videtur tamen non posse ulla ratione negari. Et primum, quod hæc sit apostolica traditio, satis ostenditur ex regula Augustini, lib. 4 de Baptism., cap. 24: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur;* sed hujusmodi est hæc mistio balsami, nam ab universa Ecclesia observatur, et non est in aliquo Concilio instituta. Nam quod de Concil. Meldensi dicitur, supra ostendimus esse falsum; in Concil. autem Bracharensi II, cap. 4, fit ejus mentio, sed tanquam de re longe antiquiori; imo ex supra adductis apertissime constat, hunc morem esse in Ecclesia antiquiorem, quam sint omnia Concilia, præsertim generalia, post Apostolorum tempora celebrata; ergo traditio hæc ad Apostolos revocanda est. Quoniam vero Apostoli quædam tradiderunt, non a Christo, sed ab ipsismet instituta, alia vero, ut a Christo instituta et præcepta, probanda superest ultima pars conclusionis, nimirum hanc institutionem esse posterioris generis, id est ab ipso Christo immediate manasse.

quod cum non possit ratione a priori probari, testibus fide dignis adhibenda est fides; sunt autem in hac causa tot ac tales, ut cuius prudenti certam fidem faciant. Primus est Dionysius, qui, c. 4 de Ecclesiast. Hier., part. 2, circa finem, mentionem facit chrismatis sub nomine unguenti, quod nos maxime divinos efficit. De quo inferius part. 3, circa finem, dicit: *Unguenti, quæ perficiendi vim habet, perfusio eum, qui initiatus est, suavitate odoris fragrantem facit*; quod de puro oleo dici non posset, ut per se notum est; latius tamen ejus unguenti ritum describens cap. 4, dicit, illud unguentum refertum esse odoris suavitate; ubi quamvis nunquam expresse utatur nomine balsami, satis tamen illud indicat sub nomine suavissimi odoris. Postea vero dicit, illum ritum traditum esse ab Apostolis, ut divinum et ejusdem ordinis, et efficacitatis, cujus est Synaxis sacramenti, et in fine satis aperte dicit, eam institutionem a Deo esse traditam. Secundus est Fabianus Papa in dicta epist. 2, ubi expresse dicit, Dominum Jesum Apostolos chrisma conficere docuisse, *sicut a sanctis Apostolis* (inquit) *prædecessores nostri acceperunt*; supponit autem illam confectionem ex oleo et balsamo constare debere, et hoc modo præcipit, ut singulis annis renovetur. Tertius est Cypria., serm. de Unctione chrismatis: *Hodie* (inquit) *sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum regis et sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitus est unctio instituta*; et inferius dicit, hujusmodi chrismate sanctificari, confirmari, et quodammodo consecrari christianos. Ex quibus testimoniis, et ex aliis infra tractandis colligitur, quamvis nomen, *chrisma*, ex primæva impositione unguentum et unctionem significet, tamen ex usu significare unguentum, quod ex oleo fit et balsamo, mystica ratione, ut dicit Innocent. III, in cap. unico de Sacra unct. Unde apud sanctos Patres perinde est dicere, misionem balsami esse ex Christi institutione, et dicere, unctionem chrismatis ex eadem esse institutione, quia nomine chrismatis intelligunt quoddam mistum seu compositum ex oleo et balsamo. Unde Gregor. in id Cant. 1: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi: In Engaddi* (inquit) *balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona Sancti Spiritus exprimuntur*.

10. *Mistio balsami est de essentia hujus sacramenti.* — Dico ergo quarto, misionem

balsami esse de essentia hujus materiæ, ita ut unctio in fronte oleo tantum facta sine misione balsami non solum illicita sit, sed etiam insufficient, ut sacramentum factum teneat. Hæc videtur fuisse sententia D. Thom. hic, ut in Commentario art. 2, explicuimus, et sumitur etiam ex 4 contra Gent., c. 60: Ubi inter alia, quæ sunt de substantia hujus sacramenti, ponit confectionem olei et balsami, quæ chrisma vocatur. Idem in 4, d. 7, q. 4, art. 2, quæstion. 2, ubi simpliciter dicit, materiam confirmationis esse oleum balsamatum; et ad secundum ait, materiam hujus sacramenti esse unam in actu, et multiplicem virtute, sicut et alia mista; et habere virtutem instrumentalem proportionatam; et hanc sententiam frequentius sequuntur ibi Theologi, Bonavent., art. 4, quæst. 2; ad 4; Richard., art. 4, quæst. 1; Scotus, quæst. 4; Durand., quæst. 2; Alexan. Alens., 4 part., quæst. 24, memb. 2, art. 2, § 2, qui citat Rabanum, lib. 48 de Naturis rerum, cap. 6; Hugo de Sanct. Vict., lib. 2 de Sacram., p. 7, cap. 4; Turrecrem., in c. Litteris, n. 3, de Consecrat., d. 3. Sed hi auctores non explicant distincte, an mistio balsami sit essentialis, sed solum dicunt, chrisma debere confici ex oleo et balsamo; quia tamen absolute loquuntur de materia sacramenti, ideo eis merito hæc sententia tribuitur; et eodem modo eam docet Hosius in Confessione fidei, c. 38, et Petrus Soto, lib. 2 de Confirmatione, et alii moderni; imo et Concilium Coloniense in doctrina de hoc sacramento, expressius docet, balsamum esse de essentia, negatque, solum oleum posse sufficere. Gabriel in 4, dist. 7, art. 4; Paludan., quæst. 4, art. 2; Adrian., materia de Confirmatione, art. 2, in 4 part. illius, ad 5; Sylvest., verb. Confirmatio divina, citans Innocent., et Hostiensem, in c. 4 de Sacramentis non iterandis. Et eandem sententiam, ut probabilioem, sequitur Ledesma, 4, p. 4, quæst. 43, art. 2, dub. 3; et Sebastianus Oxomensis Episcopus in Comment. horum articulorum, n. 2; et Bellarmin., lib. 2 de Sacramento confirmationis, cap. 8 et 9, idem insinuat, licet dicat, neutram opinionem esse de fide et contra fidem.

11. *Secunda probatio.* — Potest autem hæc sententia ex his, quæ adduximus, variis modis fundari. Primo ex Concil. Florent. dicente: *Secundum sacramentum est confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientis, et balsamo, quod odorem significat*

bonæ famæ, per Episcopum benedicto. Ubi, licet non expresse dicat, omnia hæc, quæ numeravit, esse de essentia hujus materiæ, tamen in absoluta materiæ appellatione et in æquali numeratione id satis indicat; tria enim numerat æqualiter, oleum, balsamum, et benedictionem Episcopalem; at primum et tertium sunt de essentia; ergo et secundum. Dices: etiam inferius agens de Eucharistiæ sacramento dicit, materiam calicis esse vinum aqua mistum, et tamen mistio aquæ non est essentialis. Respondetur, negando antecedens; nam potius in diverso modo loquendi de utroque sacramento significavit Concilium, longe aliter esse necessariam misionem in uno, quam in alio; nam de confirmatione absolute dicit, materiam ejus esse chrisma confectum ex oleo et balsamo; de Eucharistia vero non dicit, materiam esse vinum mistum aqua, sed simpliciter dicit esse vinum de vite; additque: *Cui ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet*, ut hoc genere dicendi significaret, aquam non esse materiam, nec partem essentialem ejus, sed ex præcepto esse miscendam ob significationem. Secundo probatur, quia ostensum est, confectionem chrismatis ex oleo et balsamo ad usum hujus sacramenti esse ex Christi institutione et mandato; sed in nullo sacramento ostendi potest, aliquid esse de essentia, nisi quia est ex institutione et mandato Christi necessarium in materia, aut forma; et ideo (ut infra videbimus) mistio aquæ in calice non censetur esse ex præcepto Christi, nec proprie ex institutione, sed solum ex institutione et præcepto Ecclesiæ, sumpto tamen a Christo, ut a causa exemplari, quia illa mistio non est de substantia illius sacramenti; ergo sicut et mistio balsami est de institutione et præcepto Christi, ita etiam est de substantia sacramenti; nec potest assignari ratio, ob quam in hac materia, potius quam in aliis, aliquid sit de institutione et præcepto Christi, quod non sit de substantia.

12. *Objectio.* — *Responsio.* — *Tertia probatio.* — Solum posset aliquis subterfugere dicendo, satis esse, quod balsamum sit pars integralis hujus materiæ, quamvis non sit essentialis, sicut in sacramento pœnitentiæ satisfactio est ex institutione et præcepto Christi, tamen solum est pars integralis. Respondetur, non esse similem rationem; nam illud est singulare in satisfactione, quia non est pars, quæ actu concurrat ad componendum sacramentum, quando substantialiter

fit, nec ex parte materiæ necessari supponitur ad formam, sed est quippiam post ea consequens. Unde licet omittatur, sacramentum manet validum; imo, etiam a principio, potest nulla injungi satisfactio, et interdum etiam sine culpa, et nihilominus verum fieri sacramentum; at vero in presenti confectione ex balsamo est ita necessaria ex parte materiæ, ut præsupponatur ipsi formæ, et simul concurrere debeat ad efficiendum sacramentum; neque legimus aliquando confectum esse hoc sacramentum absque usu talis materiæ, quod esse potest novum argumentum ad confirmandum hanc materiam esse essentialem. Tertium argumentum sumi potest ex parte formæ. Nam illa materia sacramenti, quæ necessaria est ad veritatem formæ, est de essentia sacramenti; sed ad veritatem formæ hujus sacramenti est necessarium oleum mistum balsamo, ut patet ex illis verbis: *Confirmando te chrismate salutis*, quia (ut ostendimus) nomine chrismatis, ex usu totius Ecclesiæ, et sanctorum Patrum, significatur compositum ex oleo et balsamo, Episcopali benedictione consecratum, et auctoritate Fabiani, Cypriani, Gregorii, Innocentii et aliorum ostendimus; ergo hujusmodi chrisma est de substantia hujus materiæ.

13. *Ultima probatio.* — *Ad argumenta opinionis contrariæ.* — Ultimo constabit hæc conclusio magisque declarabitur ex responsionibus ad fundamenta contrariæ opinionis. Ad capitulum ergo primum de Sacramentis non iterandis, in primis dicitur, negari non posse, quin, in eo casu, et in quocumque simili contingat hominem confirmari, cum unctione solius olei catechumenorum, aut infirmorum, absque misione balsami, debeat iterum confirmari quoad substantialia hujus sacramenti, quia, etiamsi demus contrariam opinionem esse probabilem, nihilominus sacramentum juxta illam confectum in re ipsa est incertum, et, ut minimum, est etiam valde probabile, esse nullum; ergo non est homo relinquendus in periculo carenti hoc sacramento; ergo iterum dandum est illud in materia certa; ergo non est verisimile, hoc voluisse negare Pontificem; nec dubitari potest, quin, non obstante illo textu, nunc sit licitum in eo casu iterum dari sacramentum; ergo necessario est aliter explicandus textus ille. Deinde certum est illa responsione Innocentii supplendam esse in eo casu eam unctionem ex balsamo, quæ facta non erat. Non potest autem suppleri unguendo cum solo bal-